DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA.

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XX. MARTII.

M. ISAAC RENAVDOT Doctore Medico, Præſide.

1096

An Vinum hiſpanicum Senibus confert?

QVAVIS ætate mortalis eſt ad æternitatem natus homo: Nempe haud ſolidum firmúmque, ſed quod omni tempore ſolveretur, corpus obtinuit. Duram hanc Fati legem ne cui perrumpere liceat, non illæ ſolùm faciunt, quæ nos aſſiduè circumſtant, ſed etiam quæ nobis ſunt congenitæ cauſæ: Inſitus ſcilicet qui nos genuit, totóque vitæ curſu moderatur calor, dum ſui ſervandi gratiâ ſuave illud, quo reficitur, pabulum depaſcendo, ſenſim exhaurit, ſimul omnem corporis ſubſtantiam depopulatur, atque tabefacit; tandémque ſuæ voracitatis pœnas luit, & cum amiciſſimo humore emoritur: Sic homo ſuâ ſponte ad mortem currit: Atque hæc à calido in frigidum, ab humido in ſiccum progreſſio, ut vitæ metam, ſic ætatum diſcrimina conſtituit. Neque enim hæ annorum numero, ſed inſigni quâdam nativi caloris & humidi ſalutaris mutatione, æſtimandæ: Quippe, ut caloris in humido permanſione vita definitur, ſic mutuâ & manifeſtâ utriuſque actione & paſſione, quam extrema demùm ſubſequitur ſiccitas, variæ circumſcribuntur ætates: Quas pro triplici benignioris illius ſucci conditione ac ſtatu diviſêre, in Creſcentem, quæ juventus; Vigentem, quæ firma eſt, ac ſui ferè undique ſimilis; & Declinantem, quâ maximè continetur ſenectus. Pueritiam & Adoleſcentiam includit juventus, quæ caloris & humoris copiâ luxurians, ab ortu ad augmenti finem producitur. Vigens & Adulta, flos vitæ, in medio extremorum eſt, quamdámque tenet æquabilitatem: verè integra & aurea ætas, quæ omnibus cùm animi, tùm corporis bonis hominem cumulatiſſimè beat, efficítque velut quemdam θεὸν ἐπίγειον, ſummâ tranquillitate fruentem, ligatis velut concordi pace humoribus omnibus. Vbi verò caloris inopiâ, nimiæque ſiccitatis dominatu velut hebeſcit naturæ vis, obrepit non intellecta, licet omnibus deſiderata ſenectus: quæ in Crudam, Provectiorem, Caducámque diſcreta, nimio frigore, humoríſque diſſipatione tandem perniciem creat; nimirum detritâ ſolidarum partium ſubſtantiâ, conſumptóque humore, ſtatim extinguitur calor, perinde ac lumen, cui nihil olei inſtillatur. Sicque homo ex naturæ neceſſitate clàm deducitur ad interitum: quem ſuâ quidem arte retardare, at inhibêre nunquàm poteſt Medicus.

EXCIPIENDIS morborum ſatibus minùs opportuni ſunt ſenes; & ut aliquando molliter ægrotare videantur, certè vel triſtiùs, vel numquam curantur: neque enim habent, quod, ut adoleſcentes, diu ſe victuros ſperent, aut ſi ſperant, inſipienter ſperant; An propterea animoſiores, & ad appropinquantis & jamdiu meditatæ mortis terriculamenta conſtantiores ſunt? An quòd homini ſuo tempore extingui optabile eſt, útque aliarum rerum, ſic & vitæ debet eſſe modus atque ſatietas quædam? An quòd non tanti eſt, nec tantùm habet vita commodi, quin qui diu vixit, multa quæ nollet, viderit? An quòd honeſtè acta ſuperior ætas magnâ conſolatione permulcet extremam, facítque ut molliter ferat ſapiens, quod vitare non poteſt? Hîc profectò vitæ extremâ parte perficitur in infirmitate virtus, cui vix aliquid intercedit commercij cum malorum omnium magiſtrâ & hortatrice voluptate: magnáque habenda eſt ſenectuti gratia, quæ efficit, ut ne libeat quod non oportet; ut animus tanquam emeritis omnium cupiditatū ſtipendijs, quæ aliàs ſapientiâ & ratione non poterat, aſpernetur, ſecū ſit, vitæ reliquias in ſuos uſus conferat; vinolentiâ, cruditate, inſomnijs, cibi potioníſque aviditate careat homo. Quin & tunc maximè viget longo rerū uſu collecta prudentia, ætatéque firmatus ac recoctus ſenex, παλαιά τε πολλά τε εἰδώς, diminutū corporis robur penſat cōſilio atq; authoritate: útque ætatis, ſic & ſentētiæ prīcipatū tenet. His armis res magnas gerit, quóq; magis deflorēſcit corporeus oculus, hôc mētis acie cernit acutiùs, quaſi leviori factâ ſarcinâ, divulſíſque ruinoſæ domûs parietibus, clariores luminis tractus excipiat. At non ſemper honorata, fortis, & jucunda; multorum ſæpe calamitoſa eſt ſenectus, perditáque valetudo: Quot vidêre eſt ſenes Callipides, Tithonos, Codros, Acheronticos, invalidos, flaccidos, qui viribus effœtis, uvæque paſſæ ſimiles, ſolâ linguâ juvenilem ætatem mētiuntur, nihílque aliud quàm vox & umbra ſunt; quibus natura, ſi diutiùs in vitâ eſſe velint, tanquam fœneratrix, nunc viſum, nunc auditum, nunc aliquid aliud aufert, velútque pignus exigit: ſimúlque gravioribus mulctat incommodis, tuſſi, catharro, apoplexiâ, paralyſi, renum, veſicæ, articulorumq; doloribus, quibus in dies ingraveſcentibus miſelli ferendo non ſunt. Quid quod ubi ad extremum venêre ſenium, velut à calce ad carceres revocati, ad ipſámque revoluti infantiam, amiſſis dentibus balbutiunt, & tripueri fiunt; Mens ſcilicet ipſa ob arctiſſimam, quæ illi cum ægro corpore intercedit, ſocietatem, ejus plerumque damnis implicatur; ex eóque ſenes multi iracundi ſunt, moroſi, difficiles, timidi, inertes, queruli, avari, loquaces, comici: Et licet effœti corporis animíque defectio non rarò prægreſſæ adoleſcentiæ efficiatur erroribus, fit tamen & ætatis ipſius vitio, quæ & grave reddit corpus, & mentem deprimit, eíque tenebras offundit. Quare convenienti rerum non naturalium uſu, ſi minùs ἀγηρασία, ſaltem εὐγηρία procuranda. Ac quia tot affectuum radix eſt excellens ſiccitas, languénſque calor, adhibenda fomenta, quæ extinctum penè calorem exſuſcitent, ferméque reſolutam partium humiditatem inſtaurent.

VIS tot incommodis annoſę ſenectutis ſubvenire? eo utere alimento, quod non ſupervacaneo humore circumfluat, ſed aërio, pingui, calido, ſpirituoſo, ſit εὐχυμότατον καὶ θερμότατον, vitæ principijs ſimillimum, & recreandis ſenum viribus accommodatum: promptè belléque nutriendo, tenuiorum & puriorum ſpirituum materiem præbeat; inutiléſque ſuccos omniū penè morborū cauſas paulatim abſumendo, ſenilis ævi terminos longiùs proferat. Id genus alimenti vinum eſt, ſuccus è maturis uvis expreſſus, qui fervendo ſibi vires è muſto fecit, τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος θερμαντικόν; quo nihil jucundiùs, nihil meliùs à Deo immortali hominibus datum eſt; ſed cujus abundantiam humano reſervavit arbitrio, ut parſimonia naturæ eſſet magiſterium ſobrietatis, & quæ abundantiam ſequitur temulentia lapſui adſcriberetur, non ut eſſet irritamentum voluptatis, ſed neceſſitatis ſubſidium. In eo ſanè cœleſtes ſplendent gratiæ, ſubſtantiæ ſynceritas eſt eximia, ac quidam velut vitæ ſpiritus; id colore, odore ſaporéque gratiſſimum nemo non bibit avidè & ſuaviùs quovis Nectare & Ambroſiâ; ut etiam in fæce & in vappâ inſit nativæ facultatis commoditas aliqua. Certè rerum omnium, quæ in uſus humanos veniunt, vires in ſe complectitur, nec ſolùm cibi potûſque, ſed etiam medicamenti rationem obtinet; εὐχροίας, εὐπεψίας, εὐθενίας, καὶ εὐθυμίας author: nulli naturæ, tempori, ſexui, vel ætati infenſum, dignum ideò Paſitheâ: pueris ipſis, ſi prudenter ſcitéque exhibeatur, fœliciùs adoleſcunt, minúſque convulſionibus tentantur; Maximè tamen in ſenij gratiam videtur inventus liquor iſte dulciſſimus ab altero hominum parente jam ſene, quo diluvij damna repararet, & feſtinantibus jam ad mortem corporibus mederetur. Nempe cùm ſenes omnes frigidi & ſicci audiant, pauci ſint ſanguinis, & modico victu opus habeant, ipſis vinum χρῆμα τοῦ θερμοῦ utiliſſimè datur; Nam & imminentem ex hepatis cordíſque ſiccitate ſquallorem inhibet, & quod ſupereſt caloris uberrimè fovet: languentem appetentiam excitat, ciborum coctionem & anadoſim promovet, ſanguinem frigidiorem ſuo calore ad temperamentum deducit, bilis amaræ frangit acrimoniam, præcordiorum iram temperat, timoris eſt pharmacum & fortitudinis calcar, hilaritatém lętitiámque infundit, bonam ſpem, magnanimitatem & liberalitatem affert, triſtitiam ſenectutis contubernalem & moleſtiæ ſenſum omnem abſtergit, verecundiámque diluit: ſi denique latet mens oppreſſa ſenio, tanquam ignis obducto cinere ſopitus, moderato vini potu paululùm commota, rurſus accenditur atque erigitur.

SED non omne vinum his pollet dotibus ſenes adjuturis; ſeligendum ad eam rem generoſum, ſyncerum, poteſtate calidum, album vel flavum, ſpirituoſum, odore fragrantiſſimum, ſapore dulce & jucundum, quod ætatem bene ferat, non de dolio, nec vetuſtate nimiâ languidum, fugiens aut amarum, non ſaccatum & enerve, non durum & aſperum, ſed lene ac tenerum, non craſſum ac nigrum, non picatum, vel calce, ſulfure, moſcho, ambaro, melle, aut ſimilium rerum admixtione nocens & adulteratum, ſed ſimpliciſſimū: Quale eſt vinum hiſpanicum, pręſertim quod ex Hiſpali opulentiſſimo totius Europæ emporio, ex portu Caliz, & alijs quibuſdam ſecùs Oceani & Mediterranei littora uſque ad Gades, ad nos frequenti navigatione tranſmittitur. Neque enim hiſpani vini una omninò eſt natura, conſimiliſque facultas: ſex potiſſimùm habentur ejus ſpecies variæ, pro diverſitate locorum ubi naſcuntur. Vinum Malacæ civitatis munitiſſimæ ad fauces freti Gaditani ſub Epiſcopatu Granatenſi, vinoſum eſt, robuſtum, flavum, ſapore & odore gratiſſimum, cujus dulcedo penè incredibilis. Vinum Xerez urbis fertiliſſimę juxta portum ſanctæ Mariæ, in eâ Hiſpanię Beticæ parte, quæ Andaluſia dicitur, rarum admodùm, album, ſubſtantiâ ſyncerâ, tenuiſſimum, valentiſſimum, amabile tamen, quod dum effunditur lenibus exultat ſtillis, ac veluti pungendo linguæ lenocinatur. Canarienſe ex inſulis Canarijs in Oceano Athlantico, quas olim fortunatas dixêre, album quoque, ſed minùs ſuave, potens ac odorum, ſubſtantiæ mediocritate ac ſalubritate commendatur. Scipioneum factitium eſt in Hamburgio clariſſima totius Holſatiæ urbe ad Albim flumen; nomen habet à Scipione ejus regionis incolâ, qui primus artem docuit illius conficiendi ex vino Malacenſi purgatiſſimo, & pauco ſpiritu vini; eſt admodùm album, limpidiſſimum, omnium calidiſſimum, guttis ſcintillans, abſque ulla fæce, odore fragrans, ſapore ſubamarum. Vinum ab Alicante civitate maritima regni Valentię, robuſtum, ſubflavum, mediocris ſubſtantiæ, ſucci bonitate & ſuavitate alia ſuperat, frigidis ſervatum cellis etiam poſt trigeſimum annum potentius evadit, viribus reficiendis utiliſſimum, odore ſolo recreat ſpiritus. Tandem aliud eſt vini hiſpanici genus, quod vocatur Peroſimenez, ex agris oppidi Gadalkazar, in pago Madronales, ſub civitate Aſtigianâ, diœceſis Hiſpalenſis, celeberrimum, minùs robuſtum, album, odoratiſſimum, ſuaviſſimum, ceu blanda Syren in potantium animos molliter influens, ventriculo, cerebro, cordi amicum. Hiſce potiſſimùm vini generibus inter omnes Europę regiones fœlix ſeſe jactat Hiſpania, quæ ob naturalem ſitum, benigniorem cœli aſpectum, peculiarem ſoli vim, & eam quam mare adſpirat auram lętiorem, vini nobilioris eſt feraciſſima. Sic vivaciora & robuſtiora ſunt animalia, quæ circa maritimas degunt oras: & laudata à veteribus vina omnia fermè maritima: Imò quod vocatur Tethalaſſomenon aquę marinæ permixtione purius ſalubriúſque evadit. An propterea vulgare fert adagium, mergendum æquore Dionyſium? An & idcircò Delphinos maris belluas Libero ſacras fingunt poëtæ? Quidni itaque & mari deportata defęcatiora delicatioráque fiant? digerente, ac velut ſpiritum vitalem addente, maris halitu.

VINVM hiſpanicum, natum inter ſaxeos colles & cautes aſperas Soli objectas & mari, reliqua omnia nobilitate ſuperat & virtute: Ipſo Pollionis Romuli mulſo longè præſtantius. Non Pramnium maris Icarij, non Maronæum in Thraciæ littore, non Calybonium apud Parthos, non Thaſium, Mendæum, Creticum, Chium, Coum, Gnidium, Leſbium, Tmolites, Rhodium, cæteráque ejuſmodi græca; Imò nec Falernum, Maſſicum, Gauranum, Surrentinum, Cæcubum Italica Campaniæ fœlicis; non ſunt, inquam, hæc vini genera calidiſſima, licet ultra centeſimum annum durare queant, cum hiſpano conferenda: Iſta enim adeò laudata Antiquorum vina, ut plurimùm defruta, craſſa inſtar ſapæ, & in adulterium mellis excogitata, in obſonia potiùs, quàm in potum veniebant; imò fumoſa, exuſta, amara, varijs alterata mixturis ſæpiùs offendebant. Hiſpanicum pręterquam quod omnes vini optimi dotes integras obtinet, quovis aliorum vitio caret; non tentat caput, rarò inebriat, mali vix quidpiam creat, etiam largiùs hauſtum, quòd ferè tartari fęcíſque expers ſit; imò penè omnium, imprimis peſtilentium & malignarum febrium alexiterium eſt pręſentiſſimum, cardiacorum maximum, collapſarum virium inſtaurator, ſpirituúmque genitor illuſtris, ſomni conciliator benignus & mirandum Nepenthes, quovis auro potabili, oleo incombuſto, Panacęa, mumia magnetica, hiera hermetica, vivido latice, alipta diuina, ſimilibúſque Chymiſtarum nugis, & κραπεοχειρουργήμασι; imò ipſis margaritis, lapide Bezoartico, pretioſis gemmarum fragmentis, theriacis omnibus, cęteríſque cardiacis longè potentius: Eò ut Aquilæ, ſic ſenum renovatur juventus, prępedito eorum marcore. Errare igitur eos, qui meliori liquore refici poſſe ſenes putant, docet uſus haud ſtolidus magiſter, confirmat & ratio uſûs norma ac regula: vel lacti ipſi alimento pręſtantiſſimo pręferendus, is ciborum & potuum meritò princeps, palato ſummè gratus, debilis ſtomachi fomentum, ſeu purus ſit, ſeu aquâ vel vino aquoſo temperatus. Ita porrò familiaritate quadam naturę cum ſenili temperie conſentit, ut facillima fit & celerrima ejus in laudatiſſimum ſanguinem commutatio; unde partes carnoſæ & ſolidæ omnes, quæ alioqui vivifici caloris humoríſque inopiâ tabeſcerent, funditúſque exareſcerent, hoc luculento & ſapido rore, quaſi jucundiſſimo nectare perfunduntur; ſpiritus, quorum tenuis eſt cenſus, proſtratæque vires ſuſcitantur; excrementij humores coquuntur, expelluntur; ſeroſa colluvies, quæ plurima ſubeſt in ſenili corpore, per urinas & ſudores educitur; cerebrum familiaribus ſenectuti vigilijs exſiccatum, blandâ quadam αἰαδυνάσει irrigatur, obrepítque ſomnus fatigatorum corporum ſimul atque animorum grande ſolatium, ac delicię mœrentium: Eo ipſo calculi, in multis corporis partibus inſidioſè ſubnaſcentis, generatio prohibetur: &, quod ſupra fidem eſt, ipſe articulorum dolor, Bacchi Veneríſque partus, vino pręcavetur & curatur hiſpanico: Quin & humorem melancholicum contumacem temperat, ejus frigiditatem oppugnat, craſſitiem incîdit, cruditatem coquit, tenacitatem caſtigat, feritatém demulcet, tanquam ἰσχυρότατον καὶ ἥδιστον φάρμακον. Eum igitur, qui vino ejuſmodi moderatè & ex ratione utetur, non cura exedet, non triſtis ſenectus franget, non gravior ullus opprimet morbus, non acumen ingenij frigidus ſanguis obtundet; imò vel in ipſo ętatis portu vegetus ad ſuſcipiendam prolem etiam maximè idoneus erit: iracundiam æquanimitati commutabit, durior vivendi ratio ętatis propria, velut ferrum in igne, mollietur, ejúſque ſeveritas prudenti facilitate temperabitur: Fiet denique ſenex perfectus οἷα θεὸς ἐξ ἀνθρώπων: ac poſt Neſtoreos annos, tanquam exercitatus hiſtrio, probè peracta ętatis fabula, animam placidiſſimè exhalabit. 536

Ergo Vinum hiſpanicum Senibus confert.

Proponebat Lutetiæ ANTONIVS DE CAËN, Pariſinus. Anno Domini M. DC. LIX.